

e Oribas. 8.
coll. 10.

His vtendum, vbi cetera remedia fuerint adhibita, & iam potius remediis localibus opus est, ventriculo ieiuno. Modus autem, vt ore diu teneantur, masticeantur, caput *d* deorsum flectatur & per interualla, quo congestus humor effluat, os aperiendum & commansa expuenda. Posthæc aqua *d* calida (vel *e* melicratum) ore continenda, cumque multus morsus per sentitur, effundenda. Vel, si vehemens morsus remanserit, lacte aut rosaceo calido os colluendum. Quare quæ ingrati sunt saporis, apophlegmaticis ne utiquam sunt miscenda. Notandum tamen, ne masticatoriis, quando pituita è cerebro in fauces, pulmones & ventriculū fluit, sed errhinis vtamur. Ex iisdem rebus decoctis diuque in ore retentis etiam vti licet. Sic etiam ex hisce vnguenta fiunt, quibus palatum ilinitur.

De Collyriis.

C A P. XLII.

a Oribas. 10.
coll. 23. sign.
tam cassida
muris simili-
ter tribuit.

KOLLYRIUM siue Collyrium, veteribus medicamentum fuit oblongum *a*, rotundum, ex liquoribus, succis herbarum, fructuum, seminum & metallicis, ad vsus varios compositum & asseruatum, quo vel integro vtentur, vel in puluerem redigebant, qui vel siccus, vel humore aliquo dilutus, vel linimento exceptus parti adhibebatur. Hinc veteres pleraque medicamenta in collyrii formam fingenda præcipiunt, & ad omnes omnium partium affectiones, quibus admoueri possunt, diuersarum omnino facultatum comparant. Nari-